



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina
Ecclesiae Oeconomia**

Bonald, François

Coloniae, 1611

XLI. De vtilitate censurarum, ac pœnarum Ecclesiasticarum, & commodis,
quæ ex eis proueniunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)

CAPVT QVADRAGESIMVM
PRIMVM.

*De Vtilitate censurarum, ac poenarum
Ecclesiasticarum, & commodis,
quæ ex eis proueni-
unt.*

*Pœna &
premia
Resp. con-
seruati.*

Peruetustum antiquorum dictum est, Regna ac Respubl. premijs & poenis conseruari; ideoque legislatores frequenter premia facientibus, poenas contrauenientibus præscribunt, prout passim ex veterum scriptis; & antiquo testamento, absque latiore probatione patet. Cum itaque ecclesia & familia Christi sit quædã Resp. aut potius regnum, rationi consentaneum erat, vt legislatores eis de legibus, bonos premiantibus, malos autem punientibus, prouiderent: Quod ab ijs sapientissimè præstitum est: omissis enim ijs, quibus premia proponunt, institutum nostrum secuti, de ijs dicamus, quæ poenam decernunt, aut potius de censuris, & poenis ipsis, quod tam à iure quam ab homi-
ne.

ne iurisdictionem habere, infliguntur.

Censurarum autem Ecclesiasticarum *Tres species censurarum.*
 triplex est genus; scilicet Suspendio, qua Ecclesiastici ab exercitio suorum officiorum, & fructibus beneficiorum arcentur: Interdictum, quo homo diuinis officijs, Sacramentis, & Sepultura Ecclesiastica priuatur: Excommunicatio, qua rebelles, & pertinaces ab Ecclesia præscinduntur. Duo priora genera, non sunt adeo terribilia, neque frequentia; ideoque illis præteritis, de postremo quod est excommunicatio, agemus.

Qui hanc materiam pertractarunt *Navar. in Manuali. Tolet. in Instruct. Sacerd.*
 duas species excommunicationis statuunt, Maiorem vnam, minorem alteram. Maior aduersus eos decreta est, qui cum quadam obstinatione pertinaciter, aut prohibita faciunt, aut iussa negligunt. Minor contra communicantes cum nominatim excommunicatis lata est; Maior hominem actiua, & passiuam sacramentorum participatione priuat; Minor sola passiuam; quod idem est, ac si diceretur, eum qui fulmine
 maio-

maioris excommunicationis ictus est, sacramenta nec posse recipere, nec administrare, qui autem minore, posse eum quidem sacramenta administrare, sed non suscipere.

*Excommu-
nic. timen-
da.*

His suppositis primo certum est, excommunicationem admodum timendam esse, maxime autem maiorem; secundò, quod sancte & utiliter in Ecclesia instituta sit: cur autem timeri debeat ex effectis liquet, ea enim Christianus à mystico CHRISTI corpore, quod est Ecclesia, separatur, adeoque à precibus & meritis totius Ecclesie communibus excluditur, ab usu Sacramentorum, & sacrae communis arcetur; & Sathanæ traditur: quae singula tam scripturae, quam Patrum testimonijs comprobantur. Nam quod primum concernit; ait CHRISTVS, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus*, id est, sit totus extraneus, & ab Ecclesia seclusus, quicumque Ecclesiae Praepositis rebellat, ita hunc locum Hieronymus intellexit, ideoque docet Praelatorum sententiam in terris latam, à Deo in caelis confirmari, prout CHRISTVS

Matth. 18.

*Hieron.
ibid.*

Pe

Petro promisit, cum diceret, *Quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in caelis.* Quod autem excommunicatus priuetur perceptione sacramentorum, & sacrificij altaris, probat Augustinus similitudine ex veteri testamento desumpta, ita de Ecclesia loquens, *Sola quippe illa est, per quam Dominus sacrificium libenter accipiat, sola, quae pro errantibus fiducialiter intercedat:* Vnde etiam de Agni hostia precipit **DOMINVS** dicens, *In una domo comedetis, nec efferetis de carnibus eius foras:* In una namque domo Agnus comeditur quia in una Catholica Ecclesia vera hostia Redemptionis immolatur: De cuius carnibus efferri foras prohibet, quia dari sanctum canibus vetat. Quod autem excommunicati diabolo tradantur, patet ex Eusebio relato apud Damascenum, & docente, quod cum à fidelibus Christianis separentur in infidelium ordinem transeant, qui omnes subditi dæmonis sunt. Certius autem idem ex Apostolo probatur, qui scribit, se Hymeneum & Alexandrum à reliquis fidelibus sequestratos, Sathanæ tradidisse. His malis

Matt. 18.

Aug. ser. 181. de temp.

Exod. 12.

Dam. l. 3. Par. c. 4.

1. Tim. 3.

lis.

us est,
nec ad-
osse e-
strare,

m est,
am ti-
aiore;
in Ec-
timeri
enim
S T I
ratur,
oti Ec-
r, ab v-
ommu-
: qua
arum
n quod
T V S,
tanquã
e totus
us, qui
bellat,
ntelle-
sentẽ
coelis
T V S
Pe

lis affliguntur illi, qui maiorem excommunicationem incurrerunt, siue ij notorij sint, siue non sint: Qui autem nominatim excommunicati, & denuntiati sunt maiorem infamiam subeunt, à conuersatione enim, & conuictu fidelium separantur in vita, & post mortem etiam à communi Christianorum sepultura prohibentur: Nā S. Ioannes nolebat eis, *Aue* dici; idemque suo exemplo monstrauit, cum se subito extra balneum subduxit, in quo Cerinthum falsam doctrinam, & haereses docentem, repererat. Ex quibus facile colligas, quam formidabile malum sit excommunicari, & ab Ecclesiae unitate præscindi: Vnde Chrysost. ait: *Habent quidem & terrestres principes vinculi potestatem, verum corporum solum: Id autem quod dico sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad caelos usque peruadit, usque adeo, vt quocumque infernè sacerdotes confecerint, eadem illa Deus supernè rata habeat, ac seruorum sententiam Dominus confirmet: illis enim dixit, Quorumcunque retinueritis pec-*

Iren. l. 3

c. 4

Euseb. l. 3

c. 22

Chrys. l. 3
de Sacer-
dot. c. 5

cata, retenta sunt: Hæc Chryl., cui subscribit Cyprianus, ita scribens, Interfici Deus iussit sacerdotibus suis non obtemperantes; iudicibus à se ad tempus constitutis non obedientes; Et tunc quidem gladio occidebantur. quando adhuc circumcisio carnalis manebat: Nunc autem quia circumcisio spiritalis esse ad fideles seruos Dei cœpit, spirita i gladio superbi & contumaces necantur dum de Ecclesia eijciuntur. Neque enim uiuere foris possunt, cum domus Dei una sit, & nemini salus esse nisi in Ecclesia possit. Hęc est sententia s. illius martyris, cui aliam Augustini subnecto, dicitis, Illud enim quod ait, Si nec Ecclesiam audierit sit tibi tanquam ethnicus & publicanus: grauius est, quàm si gladio feriretur flammis absumeretur, feris subigeretur.

Terribilis est hęc sententia, neque tamen cuiquàm hyperbolica videri debet, cum bonis rationibus stabiliatur, & satis euidenter appareat, si quosdã exteriores effectus Excommunicationis consideremus; Vidimus enim plurimos excommunicatos phety si contabuisse,

Cyprian.
ep. 62 ad
Ponpon.

Aug. l. 1
contr. Ad-
uer. legisc.
17

Niceph. l.
3. hist. c.

34.

Beda hist.
de vir. Il-
lustr. ord.
Cister.

buisse, animaduersum est proprios eorum canes à ciborum reliquijs abstinnisse, terram sanctam profana illorum & abominabilia corpora reiecit: legantur historia, & magis miranda reperientur.

Sed dicet fortè aliquis, nunquid hæc tanta seueritas, tantusque rigor erga peccatores nimius est? Respondeo punishmentem hanc non rigorem, neque seueritatem; sed mansuetudinem, & æquitatem appellari debere, primò, quia excommunicationis fulmen nunquam in quempiam iacitur, nisi præsumatur mortaliter peccasse; ex quo sequitur, quod hæc sententia nunquam separet hominem ab interiore communionem, quæ est per charitatem; sed iam suo peccato separatum declarat: Secundò, quia nunquam ad exteriorè ab Ecclesia separationem proceditur nisi semel, iterum, ac tertio excommunicandus moneatur, vt aut facienda faciat, aut vitanda caneat: Tertio, quia cum contumaces sint, & in suo peccato obstinati, tam ipsis, quam alijs expedit, quod separentur: Vnde Augustin. inquit, *Cum verò eis, per*

qui

quos Ecclesia regitur, adest, salua pace, Aug. l. de
 potestas disciplina aduersus improbos & fidei & o-
 nefarios exercenda, tunc rursus ne socor- per. c. 5.
 dia, segnitiaque dormiamus, alijs aculeis
 preceptorum, que ad seueritatem coerti-
 onis pertinent, excitandi sumus: Fecit
 hoc S. Paulus, idque ob rationes mo-
 do allegatas, cum quorundam conui-
 uentiam erga incestuosum damnans,
 num Sathanae tradit, excommunicat-
 que, ita scribens: Ego quidem absens cor- 1. Cor. 5.
 pore presens autem spiritu, iam iudicavi
 ut presens, eum qui sic operatus est, in no-
 mine Domini nostri Iesu Christi, congre-
 gatis vobis & meo spiritu, tradere hu-
 iusmodi Sathanae in interitum carnis,
 ut Spiritus saluus sit in die Domini no-
 stri IESU CHRISTI. Ex quo
 manifeste videmus, eum hac excom-
 municatione in bonum excommuni-
 cati vsum fuisse; ex sequentibus autem
 patet, quomodo ad bonum proximo-
 rum adhibeatur, nam subdit, Non est
 bonagloriatio vestra, quibus scilicet
 nimia indulgentia placet: Nescitis quia
 modicum fermentum totam massam cor-
 rumpit, quasi dicat: Non decet, neque
 expedit, ut vnus quispiam viciosus,
 qui

qui toti communitati corrumpenda
 sufficit, inter vos remaneat, ideoque
 addit, *Nunc autem scripsi vobis, ne com-
 miscamini, si is qui frater nominatur
 est fornicator, aut auarus, aut idolis
 seruiens, aut maledictus, aut ebriosus, aut
 rapax, cum eiusmodi, nec cibum su-
 mere, & caput illud concludens ait,
 Auferte malum ex vobis ipsis.* Manife-
 stum itaque est ex Apostolo, aduersus
 discolos excommunicatione uten-
 dum esse.

Quis ergo prælatos Ecclesiæ repre-
 hendet, si ea aduersus contumaces &
 rebelles vtantur? Cum hoc modo eos
 ad mandata Dei seruanda cogant, ac à
 peccatis, ne æternam damnationem
 incurrant, prohibeant. Cui bonum fa-
 ctum non videbitur, si vitiosi & obsti-
 nati à virtuosis & obedientibus, infe-
 ctæ oues à sanis separentur? Confite-
 amur itaque censuras Ecclesiasticas
 legitimè institutas esse, & earum vsum v-
 tilem censerit: ac summa diligentia ca-
 ueamus, ne ea flagitia designemus, ob
 que his fulminibus feriri mereremur.
 Fateor quidem cum August. has pœ-
 nas summa discretionè decernendas

August. 1.
 de fide &
 oper. c. 3.

esse

esse, neque sæpius & ob leuioreſ cau-
ſas iaciendas: Tamen omnibus conſu-
lo, quos pœna hæc feriſt, licet coram
Deo ſubinde innocentes ſint, vt quam
primùm Abſolutionem procurent; nã
vt ſupra declarauī, maximum malum
eſt tali vinculo innodatum manere,
ac interiori communionē ſanctorum
ſeparari, ab exteriori participatione
Sacramentorum priuari, & communi-
catione Chriſtianorum ſpoliari. Et li-
cet nihil aliud mali ſubeffet, quam
quod rebelles filij, ac refractarij habe-
remur, ſufficere deberet, vt promptè
nos prælatorum iudicio ſubmit-
teremus, & abſolutionem
humiliter peteremus.

CA.